



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XXIX. Vt nullum seruum ante perfectam libertatem episcopus ordinare  
praesumat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
895.

Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate ac desiderio suo feruntur.

## XXVIII.

In Nicæno sancto & vniuersali Concilio continetur: Propter multam perturbationem & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita vt de ciuitate ad ciuitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur, &c. In Calchedonensi, capite vigesimo: Clericos in ecclesia ministrantes, in alterius ciuitatis ecclesia statutos fieri non oportet. Si quis episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, suscipiens & susceptus communionem priuentur, donec is qui migrauerat, ad propriam fuerit regressus ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi, capite decimo octauo: Vt nulli liceat episcopo alterius episcopi ministrum ecclesiasticum sollicitare, & in suis parochiis ordinare. In Africano, capite vigesimoprimo: Vt clericum alienum nullus sibi priuet episcopus, præter eius arbitrium cuius fuerit clericus, &c. Item in decretis papæ Leonis: Alienum clericum, inuito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito caritatis id interdantem accipientem, que conuenerit. Quibus constitutis sanctorum Canonum operam dantes, & vestigijs patrum inhaerentes, hoc secundum præfixos sanctos Canones statuimus, & iustum esse decernimus.

## XXIX.

Secundum decreta sanctorum patrum præiudi-

camus, & nos id acturos profiteamur, ut nullum  
seruum episcopus ordinare præsumat, antequam  
perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet vilis  
persona fungi sacerdotii dignitate. Leo papa in  
epistola sua, capite primo: Debet enim esse ab aliis  
securus, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, ut  
a castris dominicis quibus nomen eius adscribitur,  
nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Gregorius  
in decretis suis, capite septimo: Multos ex  
ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis Dei  
seruitium festinare, ut ab humana seruitute liberi  
in diuino seruitio valeant conuersari. Si vero festi-  
nantes ad omnipotentis Dei seruitium incaute re-  
tinemus, illi inuenimur quædam negare qui dedit  
omnia. Vnde necesse est, ut ab humano serui-  
tute liber recedat, qui diuini obsequii districtam  
subire appetit seruitutem. Sancta Synodus dixit:  
Præfinita patrum statuta inuiolabilem habeant  
firmitatem.

## XXX.

<sup>d</sup>In memoriam beati Petri apostoli honoremus  
sanctam Romanam & apostolicam sedem, ut quæ  
nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat  
magistra ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est  
cum mansuetudine humilitas, ut licet vix feren-  
dum ab illa sancta sede imponatur iugum, confe-  
ramus, & pia deuotione toleremus. Si vero, quod  
non decet, quilibet, siue sit presbyter, siue diaco-  
nus, aliquam perturbationem machinando, & no-  
stro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab  
apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod  
inde